



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Punctum Diff. 2. Rejiciuntur alii modi idem explicandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

RESPONDETUR. Praxim ita ex Aristotele & aliis explicari tanquam per aliquid notius, non autem quali in hoc solo stet.

DICES 3. Si actus intellectus potest esse praxis, sequitur quamcunque speculationem, esse praxim.

RESPONDETUR. Negando sequelam, si enim sistatur in sola veritatis attractione, non potest esse talis Actus practicus, si tamen aliquis actus intellectus fiat ex regulatione alijs actus, ille actus poterit esse praxis.

DICES 4. cum Mastro. Cognitio quæ potius vera vel falsa est, non bona vel mala dicitur, non potest esse praxis. Sed omnis operatio intellectus ante imperium voluntatis elicitur, dicitur potius vera vel falsa, & non bona vel mala. Ergo talis Operatio non potest esse praxis. Major probatur. Quod potius verum vel falsum est, & non bonum vel malum, illud potius est speculabile: ad speculationem enim veritas vel falsitas pertinet. Sed nullum speculabile est praxis. Ergo & nullum est praxis, quod potius verum vel falsum dicitur, & non bonum vel malum. Minor principalis probatur. Ad voluntatem spectat bonum vel malum. Ergo ante voluntatis imperium, nihil est bonum vel malum.

RESPONDETUR imprimis negando Majorem. Ad speculationem enim veritas vel falsitas pertinent, in quantum hæc ipsa non ordinantur nec regulantur ab alio actu, secus si regulentur. Minor etiam non concludit, quia rectitudo orta ex regulis ad agendum præscriptis, quæ est aliqua bonitas, spectat etiam ad intellectum, licet bonitas moralis, imputabilis ad laudem vel vituperium, potius spectet ad voluntatem.

DICES 5. cum eodem. Cognitio directa prout cognitio est, spectat ad genus speculationis, intendit enim attingere veritatem objecti. Ergo etiam ut directa, non spectat ad praxim.

RESPONDETUR. Quod attingentia veritatis ut sic, non dicat sistentiam in illa veritate, adeoque speculationem, sed dicit aliquid commune ad speculationem & praxim. Et licet cognitio quæ simpliciter attingit veritatem objecti, ad praxim non spectet, spectat tamen ad praxim notitia, quæ attingit veritatem objecti, præscribendo regulas illam attingendi, & modum versandi circa objectum. Deinde videtur hic committi fallacia accidentis, quia quamvis dicatur non convenire id cognitioni, quæ cognitio est, non sequitur, quod ei non conveniat quæ directa, & tamen arguens ab eo quod non convenit cognitioni, quæ cognitio est, arguit non convenire ei quæ directa.

EXPLICANT 2. Alii praxim per hoc, quod debeat esse opus liberum. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT ex iis quæ immediate sunt allata, contra priorem

CONFIRMATUR ex Arriaga, quia hæc sen-

tentia supponit, quod praxis involvat ut circa illud objectum errare possit voluntas, hoc autem non convincit: nam Angelus non potest errare in motu cælorum, & tamen ille motus, est paxis, habetque de illo Angelus cognitionem practicam, cognitio boni in communi potest esse practica, itemque visio beatifica; & tamen & cognitionem boni in communi, & Visionem beatam, sequitur actus amoris necessarius &c. sed de hoc etiam infra.

DICES. Si ad rationem praxis non requiritur esse liberam. Ergo & Operationes brutorum poterunt esse praxes.

RESPONDETUR. Negando sequelam, quia id quod est proprie praxis, debet esse factum ex directione intellectus, & cum præscriptione regularum agendi, hoc autem non convenit brutis.

Punctum Difficultatis 2.

Rejiciuntur alii modi idem explicandi.

EXPLICANT 3. Thomistæ. Quod praxis importet compositionem cum materia & forma. Speculatio verò resolvit conclusiones in principia. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT 1. Quia nomine hujus compositionis cum materia & forma, vel intelligitur materia & forma physica vel intentionalis, si intelligitur materia & forma physica: Ergo nulla jam dabitur scientia practica, quia nulla componit materiam & formam physicam, sed solum est cognitio compositionis materiae & formæ physicae, quæ ipsa cognitio compositionis, non est compositio. Et si importare compositionem cum materia & forma physica: per te, sit cognoscere hanc compositionem, per te etiam Metaphysica erit practica, quia hanc compositionem, modo suæ scibilitati debito, attingit. Quod si ad rationem praxis sufficit compositio cum materia & forma intentionali, omnes scientiæ erunt practicae, quia omnes habent pro objecto, compositionem cum materia intentionali, hoc est, cum objecto materiali, ordinato ad formale, tanquam ad formam.

NON SATISFACIT 2. Quia scientia simplicis intelligentiæ de possibilitate Angelica, est practica, & tamen pro objecto non habet compositionem materiae cum forma, hanc enim excludit spiritualitas Angeli. E contra etiam practica scientia resolvitur in sua principia, & tamen adhuc est practica. Imò & omnis cognitio mechanica resolvitur in principia artis, quæ resolutio facta ab ipsamet arte, non arguit in illa ipsa speculationem.

NON SATISFACIT 3. Quia non repugnat importari à notitia speculativa compositionem cum materia & forma, & aliquid practicum resolvere conclusionem practicam, in principia

practica. Ergo nec praxis per compositionem, nec speculatio per resolutionem rectè definitur, & certè resolutio illa deberet esse conclusionis non practicae sed speculativæ, de quo ipso quæritur per quid constituatur illa conclusio in ratione speculativæ.

EXPLICAT 4. Arriaga Cognitio practica est, quæ natura sua ordinatur ad sui objecti effectum, ordinari autem ad sui objecti effectum, est, habere objectum factibile à cognoscente, ut tali, idque nondum existens. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT 1. Sumo hæc omnia, & quæro: quid sit habere objectum factibile à cognoscente ut tali.

NON SATISFACIT 2. Accipio hanc demonstrationem metaphysicam, qua advertitur quod amoris sit nexus cum bono & sic habet. Omne bonum est amabile. Deus est bonus. Ergo Deus est amabilis. Et quæro, quare hæc demonstratio in Metaphysica sit speculativa, & eadem materialiter demonstratio, in quantum est ab Ethico sit practica, & movens ad amandum Deum.

NON SATISFACIT 3. Quia tota hæc explicatio aut non explicat in quo est difficultas, ut non explicat: quid sit iste cognoscens ut talis? aut diminutam tradit doctrinam: nam quæ re restat quid implicet ut versetur cognitio cæteroqui practica, circa objectum jam existens: nam licet circa jam existens non detur deliberatio, tamen potest existens esse objectum, ex quo procedatur de deliberatione circa futurum; ita, licet jam existens, non possit esse objectum cognitionis practicae, ut illud faciat existere, potest tamen esse objectum cognitionis practicae hoc sensu: quia scilicet non sistetur in sola illius objecti veritate: sed ordinabitur illa cognitio, ad similes objecti v.g. argumenti effectum.

EXPLICAT 5. Oviedo. Cognitio practica est, quæ ex se ordinatur ad praxim, ordinari autem ad praxim est esse cognitionem, quæ proponit objectum non quomodocunque, sed ita, ut ex vi illius, possit voluntas imperare ipsius objecti executionem, potentia huic, cui incumbit talis objecti productio. Et ita cognitio quæ noscit artifex ligna vel lapides, sic vel sic esse collocandos; proponit operationi, eo modo objectum, ut ex vi ipsius cognitionis, possit artifex elicere actum voluntatis, qui imperet potentia executrici, talem vel talem lignorum constructionem. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT 1. Quia sumptis his omnibus, quæ re restat, quod signum sit istius; quando scil. ex vi cognitionis potest imperari vel non, executio.

NON SATISFACIT 2. Quia quæ re restat: cur demonstratio de Dei amabilitate supra relata, Metaphysico non proponat ob-

jectum, ita, ut ex vi illius cognitionis, possit voluntas imperare ipsius objecti executionem, possit autem Ethico.

NON SATISFACIT 3. Quia non implicat aliquid esse praxim, quamvis ad illud voluntas non se extendat, nam ratio praxis in voluntate non stat, ut dictum, potestque unus actus intellectus regulare alium, & independentem à voluntate ponere illum, qui tamen verè adhuc possit esse practicus; Et ex altera parte potest esse aliquid speculatio, quamvis ita proponatur objectum, ut ex vi illius possit voluntas imperare ipsius objecti executionem, & tamen ille actus non esse praxis. Certè enim præmissæ conclusionis, respectu inferendæ consequentiæ, ita proponunt objectum, ut ex vi illarum, potentia intellectiva progrediatur ad conclusionem inferendam, voluntasque illam imperare possit, & tamen præmissæ respectu conclusionis, non sunt practicae; alias etiam Metaphysica esset practica, habet enim præmissas respicientes conclusionem.

Punctum Difficultatis 3.

Explicatur ratio Practici & Praxis.

ARISTOTELES 1. Metaph. cap. 1. docet speculationem esse quæ sistit in gratia sui seu gratia objecti. *Ex quo jam*

EXPLICATUR speculativum, idque etiam attendendo ad 2. Metaph. tex. 3. ubi dicit: *Speculativæ etenim finis veritas. Practica autem opus.* Speculativum illud est: quod sistit in sola contemplatione objecti, considerando ejus causas, effectus, proprietates, solum in veritate contemplanda sistendo. Practicum autem illud est, quod respicit opus, quæ operabile, adeoque non sistit in sola contemplatione objecti. Et sic demonstratio illa de Dei amabilitate si consideretur à Metaphysico erit speculativa, quia sistet in sola contemplatione objecti. Practica autem in Ethico; quia non sistit in sola veritatis illius contemplatione, sed ulterius imperat opus seu operationem, hoc est amorem. Quod autem aliqua in particulari scientia sistat in ipsa speculatione objecti, hoc inde colligendum est, si enim reliquis in objecto circumscriptis & impossibilibus redditus, solaque speculatione veritatis in illo objecto contentæ relicta, tamen maneat invariata ratio, primo & per se intenta, in versando circa illud objectum, ab illo habitu seu scientia, jam hoc ipso illa scientia, censetur esse speculativa; illa verò in particulari scientia censetur esse practica, quæ relicta tota speculatione objecti, variabitur ex hoc solo, si illi non sit integrum procedere ad opus, jam illa scientia, & erit & dicetur practica. Atque ita cognitio illa Metaphysica de Dei amabilitate est spe-